

www.e-rara.ch

Lexicon medicum graeco-latinum

Stupanus, Emmanuel

Basileae, 1639

Kantonsbibliothek Graubünden

Shelf Mark: KBG Bn 35 (1)

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-99875>

L.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

L

LABOR, ab Hipp. sæpius consuevit sumi pro exercitatione, interdum pro dolore, deniq; etiam pro quâlibet noxâ & læsione. com. 5. in 6. de morb. vulg. 10.

Labrum, sive Labium, χείλῳ, est crïs extremitas musculosa, id-ipsum alternatim claudens, & aperiens; undè quod in labiis prominet & quasi propendet, πρὸ χείλου dicitur. 11. de usu part.

Labyrinthus. Vide Cæcum foramen.

Lactes, apud Hermolaum barbarum, & Plinium significant & sunt molliora intestina, potissimum in homine & ove. per quâ cibus & chylus labitur; sed apud Aristotelem, Gazam, Budæum, & Galenum 5. de loc. aff. cap. 7. Lactes sunt & significant omentum, reti aucupario simile, seu pingue illud, quod intestina superiora ambit. Id-ipsum Nostrates in piscibus lactantias, & lactumas vocant.

Lacuna. Vide Choana.

Læves arteriæ, Arteriæ venosæ, & Venæ arteriosæ, per pulmonum substantiam propagatæ & dispersæ propagines sunt, quas omnes natura per anastomosin, ad unum principium applicuit, sinistro Cordis ventriculo, in quo siquidem caloris est principium, ut per eas refrigeratio continua, Cordi comparetur. 7. de usu part. cap. 9. Vide Arteria.

Lævitas intestinorum, Græcis λαγνότης dicitur, est velox, & sinè ullâ omninò præcedēti transmutatione, ciborum dejectio, eveniens aut propter exulcerationem superficiariam ventriculi & intestinorum, aut propter potentiæ retentricis eorundem imbecillitatem; quorum primum ex mordacibus substantiam tenuem habentibus humori-

bus sit, qui in pueris etiam Aphthæ, i.e. oris ulcera con-
citatur; alterum verò ex magna ventriculi atq; intestino-
rum provenit intemperie. 3. aph. 22. Vide Intestinorum
difficultas.

Lagochilos. Vide Lagophthalmos.

Lagonas. Vide Ile.

Lagophthalmos, i.e. leporinus oculus, est, cum
superior gena adeò retrahitur, ut oculum, dum clauditur,
totum non contegat, estq; affectus in partibus instrumen-
talibus, non in magnitudine, sed in defectu, non ut superva-
caneum, sed veluti deficiens, cujusmodi mutila, & curta
omnia, sicut in labris, sic & in oculis, cernitur. Hinc etiam
Lagochilos dicitur, qui leporina habet labia. lib. Introd.
cap. 3. & lib. finit. med.

Lambdoides, sutura capitis posterior est, & transver-
sa, quâ occiput incipit, à Δ litera Græcæ similitudine ita
nominatur. lib. de ossib. cap. i.

Lambdoides os. Vide Hyoides.

Laminas, communi vocabulo Anatomici appellare
consueverunt instrumenta, ad secanda corpora accommo-
data; cujusmodi etiam sunt, scalpella, spathomela, am-
phismela, spicilla, oricularia, melotidæ, quæ & ex ligno
densiori, & aliquando ex buxo, confici solent. 6. de anat.
adm. cap. 10.

Lana succida, i.e. non lota, quæ & œsyperon dici-
tur. 14. meth. cap. 7.

Làparon, Græcis molle & vacuum; Hypolapa-
ron autem, subvacuum & submolle significat. 3. de
diffic. respir. c. 12. Sumitur & pro ventris dolore. com. 3. in
6. de morb. vulg. 32. Vide Ile.

Lapideum os. Vide Lithoides.

Lapis specularis. *Vide Diaphanes.*

Lapis in vesica, propria passio est ferè puerorum, qui ob edacitatem non paucos crudos humores coacervant; ex quibus pars crassior, unà cum urinis ad vesicam perveniens, fit lapidum generationis materia: acervatur verò hic crudus humor, sæpè ob edacitatem & ingluviem, ut in pueris; sæpè etiam ob potentia concoquentis imbecillitatem, ut in senibus. 3. aph. 26.

Larynx sive guttur, est suprema bronchii pars, seu bronchii caput, prima aspera arteria pars, summo ori continua, primum vocis instrumentum, lib. de vocal. instr. diff. cap. 2. ex cartilaginibus, musculis, nervis, & substratâ membranâ constans, c. 4. quæ larynx in collo extare apparet, ad sensum, tangentibusq; dura sentitur, & sursum nobis transglutientibus fertur. 7. de usu part. c. 5. Λάρυγξ Græcè.

Lassitudines, νόπυς, Græci vocant affectus, ex multo vehementer motu corporibus vel totis, vel particulis, quæ amplius laborârunt, oboriri soliti: undè Acopæ medicamenta, quæ lassitudinem tollunt, appellâtur, 7. de compos. medic. per gen. c. 11. Lassitudinis species tres sunt, ἐλασμός, τενσίς, φλεγμονώδης, Ulcerosa, Tensiva, Inflammatoria: quæ notis & signis propriis distinguuntur; in Ulcerosa enim Lassitudine, ulceris sensus, cum moventur partes, se exhibet: in Tensivâ, incendi tendiq; sibi videntur, qui laborant: in Inflammatoriâ, accensa, inflammata contusâq; apparent membra.

Lateralis morbus. *Vide Pleuritis.*

Latum os. *Vide Dorsum.*

Latus musculus, πλάγιος, apud Gal. lib. de muscul. diff. c. 1. est latus ille musculus, qui sub cute in collo habetur. Incipit, in priori quidem parte, ex laborum

ac baccarū; in posteriori verò, ex spina regionibus, toti cuti, qua circa collū est, in orbem subtensus & membranofus, ut interdum membrana potius, quàm musculus videatur.

Latus pulsus est, qui pulsu naturali, in latitudine major est; Longus, qui in longitudine; Altus, qui in profunditate. Econtrà Angustus, Brevis, Humilis. l. de puls. ad Tyron. cap. 2.

Laxius intestinum, i. e. Colon. 2. aph. 40.

Lea, seu lenia medicamenta sunt, quæ partes asperas leniunt. l. de Dynam. in præm.

Lemmata, sunt propositiones per se credibiles, quas vocare consuevit Aristoteles dignitates, vel proloquia, vel postulata. 2. acut. 20.

Leno, sive Linon, Græcè ληνός, est regio in summo vertice Cerebri, ubi duæ venæ invicem congregiuntur à torcularis similitudine, propter tenuem membranam. Vide Torcular.

Leporinus. Vide Lagophthalmos.

Lepidoides sutura, λεπιδοειδής, vel conglutinationes, Galenus suturas juxta aures vocat, quæ in ossibus, ad squamæ similitudinem structis, habentur. Fiunt hæ duobus inter se ossibus coherentibus, non per suturam quidem, sicuti Coronalis & Lambdoides, sed paulatim syncipitis os, instar squamæ attenuatum descendit, atq; in id os, quod infra ab auribus ascendit, subintrat. lib. de ossib. cap. 1. Squamosæ agglutinationes nuncupantur, 9. de usu part. c. 18. Mendosæ adhuc & temporales dicuntur. Ibid.

Lepra, λέπρα, est cutis mutatio in habitum præternaturalem, cum asperitate, & pruritibus, & doloribus, nonnunquam & squamis decidentibus plures corporis partes depascuntur. lib. finit. med. Lepra, & Psora, seu Scabies,

affectus sunt valdè affines & congeneres : ita ut Pfora nihil aliud sit, quàm mitior Lepra; est enim Pfora ad Lepram quaedam quasi via, ut Lepra ad Elephantiasin, si magis humor uratur, malignior evadat, & morbus diutius protrahatur. Uterq; affectus pruritus habet inseparabilem, sed in Lepra tantus est, ut aeger etiam vehementissimè scalpendo, nullo modo juvetur, sed omnis porius generis ulcera & phlegmonas accersat, quòd cutem exasperet, & subjacentam illi carnem, multò quàm in Pfora profundius depascatur. Undè & squamulas procreat, quales in Pfora non generantur, quæ fursuracea tantùm corpora ex se remittit, ut quæ à minori gignatur intemperie, & humore minus crasso, terrestri, assato, & maligno. Ab iisdem illis squamis dicitur λέπρω, quasi λεπινά, i.e. squamosa; ab Avicenna dicitur Albaras nigra, & Impetigo excortiva, quòd cutis in cortices quasi squamasq; resolvatur. Lepram hanc Celsus lib. 5. vocat Impetiginem, quam in quatuor species distinguit, quæ à superiori Impetigine plurimùm distat.

Lethargus, Græcè λήθηξ & ἡ λήθηξις, passio est Phrenitidi contraria, siquidem in ea inexpugnabilis dormiendi necessitas adest, perindè ut perennes vigiliæ Phreneticos infestant. Dicta autem Lethargus, quòd eo correptis, omnium rerum oblivio accadat. Somnus siquidem, si longius producat, difficilemq; habuerit expergesactionem, Coma dicitur; si verò solo tempore naturæ modum convenientem exceßerit, & non habuerit difficilem expergesactionem, somnus longus rectè nominatur, qui sit refrigerato primo sensorio, Cerebro ipso: quæ refrigeratio cum fortis fuerit, mista quidem humiditati facit lethargicas passiones; cum siccitate verò,

Cataleptics, i.e. deprehensiones vocatas, 2. aphorism. 3.

Leuce, λεύκη, i.e. alba Vitiligo, 2. meth. 2. seu corporis & pilorum in album colorem mutatio, præter naturam. lib. finit. med. & 1. de compos. med. loc. c. 1. Neq. verò ad solam cutem, sed & ad subditam quoq. ejus carnem, vitium hoc pertinet. Fit porro cutis & caro alba, & pituitosa, qualem Polypodes & locusta, ceteraq. crustacea, exanguis & albâ carne prædita obtinent. Id ipsumq. malum videtur esse, quod Nostrates Leporam albam, Avicenna Albaras album nuncupavit. Differt à Lepra, & Elephantiasi, quòd hæc sint cum asperitate cutis, rosione, pruritu, & squamulis, Leuce verò cutem habeat lenem sinè ulla aspredine & rosione.

Leucoma, λεύκωμα, i.e. oculorum albugo, 1. de remed. par. fac. est cicatrix oculorum altior, magisq. profunda; sicuti quæ superficiaria est, νεφέλιον dicitur.

Leucophlegmaria, i.e. alba pituita, Aqua inter cutem, sic dicta, quòd sui quidem ratione semper sit alba, sed propter mixturem quorundam aliorum humorum, verum mutet colorem. 7. aph. 29. Eadem est cum ea Hydropis specie, quæ Hypofarcidium, sive Anasarca dicitur, ὑδρῶς & φλεγματίας. lib. Introd. cap. 13.

Lichene affectio. Vide Impetigo.

Lien. Vide Splen.

Lienteria. Vide Intestinorum difficultas.

Ligamentum, Græcis σύνδεσμος, est corpus nervosum, quod ex osse omnino ortum habens, inseritur in os, aut in musculus. Nomen ipsi ab usu est inditum: 1. de motu musc. cap. 1. quod & Copula dicitur. lib. Tigni, cap. 9.

Ligatio, dicitur de obstrictis articulis & difficilibus artuum motibus, quos Græci Ancylas vocant. 7. de compos.

med. per gen. cap. 6. Est & affectus, qui interdum naturaliter accidit, membranæ linguam continentibus durioribus & brevioribus statim à primo ortu factis; interdum ex acquisitio, ob cicatricem quampiã duriores ex ulcere contractam; quam Græci *ἀγνυλόγλωσσοι* vocant: qui hoc malo laborant, tardè sermonem explicare incipiunt: atq; ob id, hoc virii genus, Latinis ligatio linguæ dici potest.

Lingula. Vide Epiglottis.

Linon. Vide Leno, & Torcular.

Linospermon, i.e. semen lini. 1. de aliment. fac. 32.

Lipodermus, defectus est pellicula regentis glandem Colis, adeò ut distrahi amplius non possit. lib. finit. med.

Lipopsychia, i.e. animi deliquium, idem quod Lipothymia, *λεποψυχία, ἢ λειποθυμία*, solis differunt gradibus, quod ex ipso liquet nominis etymo: Lipothymia vitalis facultatis defectum, Lipopsychia animalis facultatis exolutionem significat; attamen utriusq; facultatis defectu, omnium virtutum exolutio contingit, ut sensu motuq; destituantur ægri, non minùs quàm animo: quale advenit iis, qui, nisi frequentius nutriantur, resolvuntur. 12. meth. cap. 5.

Lipothymia. Vide Lipopsychia.

Lippitudo oculi est, cum horum album rubescit, & palpebre attolluntur, cum dolore connivent, & ægrè manus admotas ferunt. lib. Introd. cap. 15. Vide Ophthalmia.

Lippitudo dura. Vide Sclerophthalmia.

Liquabilia medicamenta vocantur, tùm quæ ignis contactu colliquantur, tùm quæ ex humidis quibusdam, velut aquâ, aceto, vino constant. Igneliquescit propolis, cera, resina, ladanum, sebum, chalbanum: Aceto solo liquefcunt citra ignem, gummi, ammoniacum,

tum, sagapenum, opopanax. 3. de comp. med. per gen. c. 5.

Liquida alvus, in qua liquida dejiciuntur. comm. 2. in 2. prorrhet. 3.

Lithiasis, i.e. calculi morbus, renibus & vesicæ familiaris, in quibus quippè partibus calculi ut plurimum generantur. lib. de renum aff. dign. cap. 2. Dicitur & λιθιασις, oculi morbus, in exteriori parte palpebrarum, in quâ alba quædam & crassa, callis aut lapillis similia apparent, oculum pungentia.

Lithoides os, λιθοειδές, i.e. lapideum, 9. de usu part. cap. 10. est, quod utrinque ad aures positum, petreæ speciem referens, lambdoides suturæ finibus terminatur, in quo inest processus columnæ similis, ad acus stylivæ similitudinem: undè Styloides, Belenoides, & Graphioides, στυλοειδές, βελονοειδές & γραφιοειδές appellatur, sub quo auditorius meatus continetur. lib. de ossib. cap. 1.

Lobi, i.e. fibræ, quibus, tanquam digitis, Hepar, ventriculus, & Pulmo, Cor ad unguem complectitur. 4. de usu part. cap. 8 & lib. 7. cap. 10. & 7. de anat. adm. cap. 11. Dicitur & lobus, ima & carnosæ aurium pars.

Localia medicamenta, quæ Topica dicuntur, medicamenta sunt, quæ extrinsecus applicantur corporis partibus, quibus herclè non prius utendum, quàm totum corpus purgaveris, venamve incideris, si redundantia in toto corpore subest; alioquin implebis potiùs corpus, quàm vacuabis. 13. meth. 22.

Lochia, λοχεία, dicuntur omnia, quæ à puerperâ post exclusum fœtum & secundas exeunt, Aristoteles vocat purgamenta: sunt autem reverà τὰ καθαρτικά, à quibus etiam solâ ratione differunt, quod hæc ante partum, illa post partum, sic appellantur. lib. de atra bile, cap. 8.

Locus, à recentioribus Medicis, corporis particula quælibet p.n. affecta appellatur. i. de loc. aff. 1.

Longaon, sive Longanon intestinum. Vide Rectum.

Longitudinalis futura est, quæ à medio posterioris Calvaria, per capitis longitudinem, ad mediam usq. anteriorem extenditur, unde Græcis ὀβελᾶια, i.e. recta, vulgò sagittalis, & longitudinalis appellatur, à lambdoide ad Coronalem finiens. lib. de osib. cap. 1.

Longus pulsus. Vide Latus.

Lapidoides futuræ, quæ & Lepidoides dicuntur. Vide Lepidoides.

Lordosis, i.e. excavatio, per vertebrarum luxationem, ad internas corporis partes facta. 4. de loc. aff. 3. Vide Cyphosis.

Lotium est, cum renes serosum sanguinis excrementum attraxerint, utilem, qui in eo est, sanguinem retinent, & ex eo nutriuntur, excrementum verò ipsum serosum, à facultate segregatrice, ceu inutile expellitur per ureteres in vesicam, sed quamdiu in venis atq. arteriis hoc cum sanguine currit, excrementum serosum, serositas dicitur: ut cum segregatum est, lotium & urina vocatur. lib. de ren. aff. dign. cap. 1.

Luætuosa respiratio, est inspiratio interrupta & quasi duplicata, geminataq. aëris revocatio, stante interim thorace, deinde rursus id, quod deest, adjiciente, qualis infantibus velut superinspirantibus accidit, quo tempore plorant. 6. aph. 4.

Lumbrici. Vide Elminthes.

Lumbi, ὀσφύς, propriè pars est totius spinæ infra dorsum sive thoracem, quinq. vertebris omnium crassissimis, maximisq.

*ximisq; compacta, inter dorsum, & os sacrum mediis. Bre-
vius alii ajunt, Lumbi sunt dorfi ea pars, quâ cingimur.
Vide Dorsum.*

*Lupus, seu Strangulator, Græcis λυνοειδής, est affe-
ctus, iis eveniens, qui sperma diu præter naturam retinue-
rint; quod veneni naturam induens, in venis & arteriis,
dum nequivit ejaculari, anginosam generat passionem in
faucibus, & quandam quasi suffocationem. lib. de sper-
mat. fol. 36.*

*Lusciosus dicitur, qui eo affectu, quem Nyctalo-
piam vocant, vexatur. 10. simplic. Μύωψ is dicitur, qui à
primo ortu, non nisi oculis admota maximèq; vicina videt,
eademq; propè oculis contingit, & limis semiclusisq; oculis
aspicit, etiamsi parva sint; remota verò, quamvis magna,
videre non potest. Vitium oculorum est, congenitum ab
imbecillitate visivæ virtutis animalis, spiritusq; visivi,
eamq; ob causam incurabile: differt à Nyctalope, quippe
qui non naturâ, sed ex morbo, talis evasit. Μύωπας Græci,
Latini Lusciosos, & Nuscitiosos vocant; ipsa verò
affectio μωπία, & μωπίας appellatur.*

*Lutea bilis, i.e. vitellina. 8. de placit. 4. Vide Bilis
pallida.*

*Luxationes, quas ossium ex cavitatibus suis ex-
cidentias, exarticulationes, & exarticulata inter-
dum vocat Hippoc. sunt ossium à propria sede excessus, sinè
fractiōe eorundem facti. 1. de fract. 1.*

*Lycanthropia, Græcè λυκανθρώπια, λυκανθρώπις,
λυκανθρώπια, λυκανθρώπις, λυκάνων: Arabicè Catrab,
Curubur; Latine Lupina, vel Canina insania: species
est Melancholia, ut testantur Aëtius & Paulus, quâ agri
in primis mense Februario, quo humor melancholicus re-*

dundat, noctu domo egressi, urbem circumeunt, quadrupedum more incedentes, lupos imitantur ululantes, donec dies illucescat, defunctorum monimenta queritant, adaperiunt, cadaverum frustra arripiunt, secumq; collo gestantes, fugiunt die vivos homines, nocte insequentes mortuos.

Lycoides. Vide Lupus.

Lyparia febris. Vide Febris lyparia.

Lytheria, i.e. solutoria signa, quæ magni & vehementis morbi solutionem firmam solent precedere. 1. de dieb. decret. cap. 1.

M

MADAROSIS, μαδαρωσις ἢ μαδαρώσις, i.e. Glabrities, Calvitium, capillorum defluvium est, à cacoehymia & vitiosis humoribus proveniens, quales affectus sunt Ophiasis & Alopecia, quæ omnes passionis sanabiles sunt, vitiosis humoribus, qui ad radices capillorum hærebant, vel resolutis, vel aliò translatis & vacuatis. 6. aph. 34.

Madorem & Pladorem, i.e. superfluentes humiditates, appellare consuevit Hippocrates, sive tenues, sive crassiores, cujusmodi & pus est. 3. de fract. 19.

Magma, in specie mirobalanorum facem vocant, 7. de compos. med. per gen. cap. 7. Aliqui verò omnem unguenti facem, quæ expressâ liquidiori materiâ utili relinquitur, & in fundo subsidet, μάγμα vocant. Extenditur quoq; nomen hoc ad omne unguentum spissum pauco liquore subactum.

Magna arteria. Vide Arteria aorta.

Magna febris. Vide Febris magna.

Magnus morbus. Vide Affectus gravis.

Magnus pulsus est, qui naturalem pulsum omnibus tribus dimensionibus superat; qui verò iisdem dimensionibus,